

F. n. 94.

Leb. 31.

Cum DEO!

ΔΥΑC
QVÆSTIONUM,

quod dicunt,

MIXTARUM:

Quarum

- I. De Myſterio SS. Trinitatis, an idem ex naturali-
bus ſive principiis philoſophicis utcunqve poſſit probari?
- II. De Mediationis Opere inter DEUM & hominem,
ſive, ut Veteres etiam loqvuntur, de Purgatione Generis huma-
ni Univerſali, an & ipſum hoc myſterium ſciverint vel cogno-
verint utcunq; Veteres ex ethnicis ſapientiores?

In panegyri ſolenni utraq; pro- & expoſita

Ab

ANDR. SENNERTO, P. P. in Acad.

Witteberg. Ejusdemq; Sen.



WITTEBERGÆ,

Imprimebat JOANNES WILCKE, An. 1685.



QUESTIUM

Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page.





Ad Lectorem Benevol.

Licitum esse (imò ita requiri omninò
à nobis) post S. Sam., quin imò & ante poneq;
hanc, aliquàm diligentius scrutari Divina,
Deumq; ipsum atqve Θεόματα (Invisibilia) ejus-
dem in Nature Conscientiaq; libris, testis nobis
est Apostolus, gentium Doctor, Rom. I. & II.,
aded, ut propter neglectum ejus moniti, pronuncientur ab ipso
ideò homines *bi ἀναπολόγητοι*, inexcusabiles, Cap. I. 20. Factum
hinc est, ut in solenni panegyri nuper à post alia aliag; , hanc
vice eligerem argumentum simile, de rebus in titulo sive fron-
tali hujus indigitatis, quod mixtum esset, quantum & S. Sam.
& profana vel naturalia: qualia Tecum, Lect. B., bonò animò
communicare non dubitavi, B. V. Appendicis in vicem an-
nectere placuit Novissima quatuor: qualia sunt: 1. Con-
summatio Seculi sive Interitus Mundi, 2. Resur-
rectio mortuorum, 3. Judicium extremum, nec
non 4. Infernus & Vita eterna, ejusdem valoris
sive generis. Iterùm B. V. atqve in Domino.

QVÆSTIO *utraq.*

Premiss. Præmitt.

Jussis quidem meritò pareo. Sed de argumento quodam in hanc rem dum sollicitus sum, credo, hâc vice, mihi non improbatum iri, si ex Literatorum Ordine minimus ego, sed simul Christianus etiam, idem non ex philosophia aut philologia merâ petam, sed ex Quæstionibus mixtis, quas vocant, philosopho-theologicis: v.gr. hoc quidem atque hâc vice, *de mysterio SS. Trinitatis, an idem etiam ex principiis naturâ notis nobis sive philosophia utcunque & secundariò possit probari?* Notum quippe in vulgus, thema hoc tractari non paucis, imò plurimis, & comprobari ab ipsis variè. Videndi præ reliquis hodiè Hugo Grotius & Philippus Moræus, uterqve in tractatibus, de Veritate Religionis Christianæ: addantur hisce: Augustinus de Civit. DEI, & in hunc, Ludov. Vives, suis quilibet in locis, alii: ex.gr. Id, quando probant r. ex rationibus aliquibus & quidem è Naturæ Libro petitis maximè illis: v.gr. è generica Substantiæ cujusvis natura sive habitudine, in qua tria nim. hæc dentur invenianturq;: *εἶσα, δύναμις καὶ ἐξουσία* vel *ἐνέργεια*, sive *Esse, posse & operari*. Sic, ab affectionibus Entis tribus primariis sive essentialibus: *Uno, vero, bono*: quæ insint omni Enti reciproçè: item: *à reflexione Mentis*: h.e., Intellectus & Voluntatis humanæ: sic à Natura *Solis, radii & Luminis; fontis, fluvii & rivi: radice arboris, truncò & ramis*. Porrò sive secundò à *Testimoniis Vetustatis* nec non *Oraculorum*: ex.gr. quùm (undecunque etiam desumserint) passim, hinc & inde enunci-entur ipsis: *DEUS primus sive summus, secundus nec non tertius: Prima Causa, secunda, tertia: Intellectus primus, secundus &c. sic: Motus, λόγος* sive *Verbum & Spiritus: porrò,*

porrò, Pater, Opifex, amborum opus. Pater, Mens secun-
da & Amor ab utroque procedens. DEUS, Motus sive Intel-
lectus & Anima mundi, τὸ πρῶτον ἐν, ὁ ὕψος ἐν πάντα, ψυχὴ
ἐν καὶ πάντα: quin imò: tres Hypostases atque expressè pla-
nè: Pater, Filius vel Verbum unigenitum & Spiritus S. : ad-
de hisce omnibus decantatissimum id Ægyptiorum Ora-
culum :

Πρῶτος Θεός, μετ' ἑπειτα Λόγος, καὶ πνεῦμα σὸν αὐτοῖς.
Et quid sibi vult Maronis illud?

-- -- numero Deus impar gaudet.

Conferantur suprâ citati autores: Augustinus, Ludov. Vives,
Mornæus, hodieq; Hugo Grotius: addatur B. Gerhardus
LL. Tom I. de SS. Trinitate §. 73., & in Exegeti §. 30.

Enim verò mittam hæc atque talia, atque altiùs ali-
quàm adfurgam & quæram: *de Mediationis Opere inter DEUM
& hominem*, & an idem mysterium utcunqve possit è Natu-
ræ libro probari, & quid sciverint sive senserint de eodem
Veteres è sapientibus, sive philosophis? Sanè videri possit
è longinquo & per transennam quasi illos aliquid de eo co-
gnovisse, ut porrò apud allegatos Scriptores, maximè Au-
gustinum & Lud. Vivem aliquid ejus reperire atque legere
est.

Cæterùm talò meò stare cum nolim, mihiq; fidere
ipsi, hac de re satius duco, Te, ANDR. SENNERTE, Sen. Acad.
hujus audire. Quo circa, ut sermonem ea de re ingredia-
ris, sive paucis, sive pluribus, utcunqve placuerit, meo atque
Competitorum meorum nomine enixè rogo. Facies rem
gratam nobis, atque pro navata hac opera vicissim Tibi stu-
dia atque observantiam nostram pollicemur.

A3

RESPON-

RESPONSUM.

Premis. pramitt.

Cæterum propositam Quæstionem tuam quod attinet, ut
Crem (stante, quod dicitur, pede) mox aggrediar, & illam
ferè in duplo, & de *Mysterio SS. Trinitatis*, quantum idem ex
principiis philosophicis seu naturalibus cognosci possit? & se-
cundò, ac vel maximè, de *Mediationis Opere inter DEUM &*
hominem, seu *reparatione hominis spiritali*, *Purgationem ge-*
neris humani Universalem Veteres etiam vocant, in quantum
& ipsa ex purè naturalibus, sive Lumine naturæ fortè, vel ut-
eunqve & secundariò cognosci possit, & quid Veteres ex Sa-
pientibus sive Philosophis ea de re sciverint vel cognove-
rint? ante omnia & rectè monuisti præsupposuistiqve, ho-
mini philosopho, eidemqve Christiano simul, de similibus
rebus, vel argumentis licere sobriè & de superfluo quasi, post
sacram Scripturam, ratiocinari & quærere. Ita est N. N.
& ego ita quoque sentio assentiorqve Tibi, in sano scilicet
sensu suo & sobriè si id fiat atqve suo modo.

Cæterum primam à Te propositam Quæstionem, de *My-*
sterio SS. Trinitatis, quod attinet, ô quàm vilia, ut cum pace
tua ita loquar, sunt illa atqve elumbia pro eodem exposita
argumenta è *Naturæ Libro* petita: paulò meliora quidem
sunt illa, à testimoniis petita *Vetustatis & Oraculorum* (un-
decunqve etiam desumpta sint) maximè *Oraculum id tritum*
decantatissimumqve Aegyptiorum:

Πρῶτα Θεός, μετ' ἑπτα Λόγῳ, καὶ πνεῦμα σὺν αὐτοῖς.
addo Maronis illud:

-- -- numero DEUS impare gaudet.

Certiora tamen (notes) hæc sunt, imò certissima, quæ Verbi
DEI revelati scriptiqve nobis suppeditat Veritas, v.gr. ut lo-
ca

ta nudè adducam: Gen. I. I. seqq. cap. III. 22., XI. 7., XIX. 24., Ps.
XXXIII. 6., Jes. VI. 3. seqq., cap. LXIII. 7., seq. Matth. XXVIII. 19.,
1. Joh. V. 7. &c. addam hâc vice & hâc locô, propter subse-
quentia, & anticipationis in modum; loca, quæ de attributo
Misericordiæ divinæ agunt: Gen. XXXII. 10., Exod. XXXIV. 6.,
Num. XIV. 18., Deut. VII. 9., 2. Sam. XXIV. 14. &c. & hunc Ec-
clesiastic. s. Sirac. cap. II. 21. *Misericordia DEI tanta est, quan-
tus ipse est*, Luth. *Dann seine Barmherzigkeit ist ja so
groß/als Er selber ist.* Enim verò hæc atque talia hâc vice
mitto & remitto me, vel Te etiam, post alios plurimos, ad
unum solum, instar omnium, B. Balthas. Meisnerum in Phi-
losophia Sobr. parte sive loco III. de DEO, sect. 4., cap. 9.,
qvæst. 2., pag. m. 1134. qvo in loco, quæ palato tuo convenient
& plura alia habebis.

Nunc alteram verò *Qvæstionem* tuam quod concernit,
de reparatione Hominis spirituali, vel aliter paulò, *de Media-
tionis Opere inter DEUM & hominem*, vel, ut aliter adhuc &
Veteres loqvuntur, *de Purgatione generis humani Universalis*,
an & illa ex purè naturalibus sive lumine naturæ fortè, vel
utcunqve & secundariò cognosci possit, & quid de eadem
sciverint vel senserint ethnici philosophi? fateamur qvi-
dem, parùm vel nihil potiùs certi vel solidi hic dari, vel sci-
visse illos de hoc mysterio summo. (Interim, ut & hoc ad-
dam & de superfluo quasi;) visi tamen sunt pauci illorum,
pauci dico, suspicati de longinqvo aliquid de illo ita sensisse:
Providentiam DEI (adde sapientiam, omnipotentiam, mise-
ricordiam, temperamentum hujus cum Justitia, creationis
& conservationis opus) genus humanum Purgatione simili
destitutum non voluisse: & (1.) quòd opus omninò illa sit,
naturâ vel monstrante, DEUSqve (2.) fine suo non frustretur,
& quia

& quia (3.) Providentiã iterum divina & Lex vel Religio altè
in hominum cordibus impressa (nisi frustrã hæc sint omnia,
omnia) id svadere velle sibi videantur : porrò, (4.) DEI inter-
ventu Ipsius opus esse in hoc negotii genere , re nullã aliã,
Hypostaseων (5.) aded (ita volunt) aliquam divinarum in se-
se id suscepturam vel suscepisse debere &c. Suspiciantur qui-
dam id de Aristotele, qui prægustum quendam habuerit hu-
jus rei, (de qua Sermo nobis hîc & nunc est,) & in extremo
mortis articulo positus ipse dolore simul ac spe in lacrymas
profusus primæ Causæ misericordiam intentiùs implorave-
rit. Videndi hac de re: D. Waltherus in Offic. Bibl. §. 1068.,
B Frantzius, de interpret. Script: Sacr., Orac. XII., pag. 159.,
Theod. Zvvingerus, in theatr., tom. II., lib. 7., qui omnes hæc
ex Cæl. Rodigino, antiqv. Lect. Lib. XVII., cap. 34. sub finem,
pag. m. 667., cujus verba hæc sunt : *Proditum est illud monu-
mentis est: cum Philosophus hic extrema sibi ingruere presen-
sisset, dolore ac spe in lacrymas profusum amplius, primæ Cau-
sæ misericordiam intentiùs implorasse. Quin & Homeri sen-
tentiam ex Odysseâ vehementer approbasse, quã non esse im-
mortalibus Diis indecorum pronuntiatur, hominis induere na-
turam, quo ab erroribus se vocentur mortales. Qua in re Cbri-
sti presensisse adventum, augurantur nonnulli ejus Viri glorie
imprimis addicti.* Ad quæ verba Zvvingerus, itemqve ex
parte Frantzius, imò & Waltherus cit. locis: Cælius, inqvunt,
versum non adscribit, an fortè is est, quem Odys. H. Alci-
nous profert, cum Ulysses mendicantis habitu, à nullo con-
spectus, in regiam penetrasset:

Εἴ τις ἀθανάτων γε κατ' ἕραυθ' εἰλήλαθεν,
ἄλλοι δὲ τοδ' ἐπειτα θεοὶ περιμχανόωνται.
hoc est:

*Quod si quis immortalium utiqve de cælo venerit,
Aliud quippiam hoc deinceps Dii meditantur.*

Quibus

Quibus verbis innuit, DEUM ad homines descendere posse, magno cum mortalium bono. Cæterum rectè subjungit B. Frantzius citat. loc. Etsi verò Zvingerus judicat, ex nimio amore erga Philosophum istum à quibusdam asseri, quasi potuerit habere Aristoteles etiam gustum de adventu Mesfiæ; tamen isto judicio rigido opus non fuisset. Fuit enim promissum Mesfiæ, ante Christum natum, celebre & notum in omnibus angulis mundi & lingvis. Vid. & lege, si placet, de Aristotele Josephum quoque contra Apion. lib. I. circa medium, pag. m. 500., & B. Frantzius, cit. locò, pag. 157. seqq., item: 170. seqq. Porro, producunt etiam Porphyrium (vid. Augustin., de Civitate DEI lib. X., cap. 23. & 32. conf. & Mornæus cap. XXVII. pag. m. 530. seqq.) qui post multa hinc & inde prolata: Principiis solis (verba Porphyrii) purgationem hanc adscribat. Qualia intelligat verò hic Principia, tanquam Platonicus (verba sunt Augustini cit. ferè locò) constat: nempe Hypostasés in DEO quæ sunt: quarum alterutri adeò hæc adscribenda sint. Addito nihilominus, (à Porphyrio) rei hujus sufficientem rationem adhuc se interim apud nullam philosophorum sectam reperiisse. Probè: nec mirum quidem hoc Porphyrii. De cætero libro de Oraculis idem hæc habet verba: *Vera via repertores Deus (Apollo scil.) esse testatur Ægyptios, Phœnicas, Chaldaeos, Lydos & Ebraeos.* Vid. H. Grot. de Verit. Relig. Chr. lib. IV. m. 9., pag. m. 148. Addunt porro: Julianum item Apostatam (conf. omninò H. Grot. d. l. lib. IV. pag. m. 152. & pag. 156. ab in.) qui, ut repudiato Salvatore nostro, ejus quid idem quoque comminisceretur, tradebat, Æsculapium, Jovis filium, assumptâ carne humanâ, per generati-

B vam

vam Solis viam , in terram venisse : Epidauri primum,
mox aliis in locis visum, ut & corpora & animas in rectitu-
dinem restitueret. Caterum Nugæ hæc sunt. Argu-
menta denique producant , extra superiora, etiam quæ-
dam in hanc rem : (1.) à Coniunctione vel Unione animæ
& corporis, Spiritus & carnis , rerum diversissimarum ;
imò contradictionem involvere , quæ videantur nobis.
Spiritus scilicet , qui nullum locum occupat , implet, nullo
continetur, interim contineri, detineri, quid ? includi :
corpus minimum, finitum, illum finire, continere, deti-
nere, includere. Aliud vicissim (2.) à possibilitate : DEO
quid non possibile ? inquirunt, ex nihilo, qui omnia fecit.
Contradictionem ergo hæc Tibi involvent ? ita voluit,
ita potuit, ita fecit. Καὶ ταῦτα, inquam.

Enimverò addo adhuc, Auditores Honoratissimi
lectissimique ; ita liceatque mihi , punctum quantum sive
quæsitum datum *de Purgatione generis humani Universalis*,
Nos aliquando in hunc ratiocinabamur modum : (ve-
rè ita, ratiocinabamur, inquam, nisi periculosè quadante-
nus : cum grano salis itaque, hæc si contingat legere alicui
fortassis mea hæc, leget. Ita, inquam, verò colligebam,
in Exercitatione quadam de hac re peculiari sub Tit. *Lumen naturale in Spiritualibus*, Rom. I. & II., vel : ὁ Θεὸς ὁ ἑξου-
στητῶν, ἐψηλαφημένῳ καὶ ἐυρημένῳ Act. XVII. 27., quam
tamen suppressere magè placuit, quàm publico commit-
tere : ita aiam ferè : *Est profectò DEUS, qui, quæ nos gerimus,*
auditque & videt. Idemque colendus : omninò :
idque certâ suâ ratione quadam, & convenientissimò Ei-
dem perfectissimòque modò ; quia Idem ille talis : Hic
iam consistit, absque dubio & præfiscinè dicendo, in Con-
for-

formitate (ita videtur, omninò:) vel potiùs Conformatione DEI, ut objecti colendi, & Hominis colentis debitorisque; ut hic, homo scil. quodammodò (in quantum possibile) fiat, quod DEUS est: in sano sensu: vel, ut exprimat Hunc eundem, in quantum a iam possibile modò, secundum sua certa attributa quædam. Id enim ipsum scil. est, Pythagorici quod jam olim & Plato dixerunt: *Summum Hominis Bonum esse, DEO quam simillimum fieri*: Vid. & conf. Clem. Alexandr. Stromat. lib. V. Quem in sensum etiam liber Sapientiarum Cap. V. 20. ex mente B. Lutheri:

Wer aber ein heilig Leben führet / der ist Gott nahe.

Jam, hoc autem impossibile est: utique, omninò: quod vel evincit Naturæ foetor ille, & rebellio virium humanarum, carnis spiritûsque lucta in homine, imò illius dominium, experientiâ teste: adde Conscientiæ testimonium, quæ scil. hominem in semine suo non corruptum tantum, sed computrefactum penitus, altâ voce quasi clamat. Quid igitur? an desperandum ideò homini, de Salute sua vel Conformitate suprâ dictâ, & deinceps Communionem & Unionem quâdam cum DEO suo glorioso hic & nunc, & aliquando in æternum? præsuppositâ scil. hic & antè Immortalitate quoque animæ humanæ. Sanè ita est: ita est: proh dolor! Enim verò nondum, per omnia: ita videtur. Cultior quippe homo, & cuius, & cum Poëta & sic loquar;

De meliore luto finxit præcordia Titan,
quemque scintillæ feriunt adhuc Divinitatis cujusdam,
(τὸ θεῶν γένος ἰσμεν, nimirum juxta Poëtam iterumque)
B 2 fugit

fugit adhuc confugitque (heic Rhodus, heic saltus, Au-
ditores honoratissimi lectique,) ad τελειότητα illam divinam
vel Summitatem perfectionemque infinitam DEI Ejus-
demque porro Misericordiam summam; quæ tanta est,
quantus Ipse est, Ecclesiast. II. v. ult. sine hæc & objecto,
plasmate suo, quæ non frustrabuntur; ex dictis: quia sum-
ma & infinita sunt. Hisce totum sese adeo & tuto com-
mittit; ex modo iterumque dictis. Ἐπιθελον, quantum vi-
detur. Sed enim verò obstat adhuc Unum, Justitiæ nem-
pe divinæ rigor, itidem qui vel quæ & ipsa summa sunt.
Res quantum hominem hic desperata. At verò vicissim:
DEUS per τελειότητα suam supra & nunquam satis lauda-
tam, infinitam, per suam infinitam Sapientiam, poten-
tiam, misericordiam, temperamentum hujus cum justitia,
providentiam, similia, sine, inquam, suo circa plasma suum
&c. non omnino frustrabitur: Vacuo hinc quasi & aliàs
dato in natura. Dictum nunc, quod & Factum. Quod nem-
pe impossibile homini, non & DEO. Res eò redit: Inter-
ventu Hujus, DEI, in hoc negotii genere summo Opus
adeo est eritque. Interventu porro (præsuppositis præsup-
ponendis) Hypostaseω (Principiorum, in sensu Platoni-
co) aliqua, in DEO, quæ sunt Ipsissimo. Ecquænam ve-
rò hæc inter illas? Ecquidnam verò convenientius, in-
quam, amabo, quàm Media, secunda: Λόγος, Sapientia,
Verbum, Mens genita vel secunda, Filius &c. vocata ipsa
passim ac vulgò: idque de causis, si adferantur, non con-
temnendis sanè. Transeant. Modus jam prætereaque
Meditationis (addendus qui erat) me, me DEUS! unà cum
Porphyrio latet quidem: Fuerit tamen & ipse talis (omni-
nò,) qui Operi & Officio Mediationis, DEO porro homi-
nique,

niqve, Illiusq; τελειότητι toties haectenus laudatae, & sapientiae ac gloriae, hujus verò miseriae & saluti sit conveniens & proportionatus; idemqve ideò tandem à DEO homini necessario & aliquando & aliubi revelandus. καὶ ταῦτα, inquam. Conf. nunc & in hanc rem & lege (quanquam haec ex parte) B.B. Gerhard. in Exeges. LL., locò IV., §.104., pag.m.1221. & §. III., pag 1232. seq. Himmel. Syntagm.theol.disp.XII.de Pers.Christ., th.14.& 22. Brochmann. Tom.I., art.de Christ., cap.I., pag.m.712.&c. praesertim verò D.Philipp. Nicolai, b.m. in Theoria Vitae aeternae lib.I., cap. XI.& XII. adde loca classica Gen.III., comm. 15., Jer.XXXI. 22., Joh.I.14., Actor.XXIV.14. seqq., 1. Tim. III. 16. &c. Atque haec atque talia de hac re dixisse ad Tua Quæsitâ, N. N. sufficiat: atque tantùm & hâc vice

D I X I.

APPEN-



APPENDIX.

I. Consummatio seculi, sive Interitus Mundi.

Hunc igitur 1. credidisse omnes hos facile, persuasum nobis est, qui Ortum sive Originem Mundi (contra quam Aristoteles cum æternitate sua) statuerunt: quæ de re nobis alibi. 2. Huic testimonium dat Sibylla Erythræa claris verbis in Acrostichide sua, cujus mentio facta nobis, ut ne actum agamus, in Christiano nostro, sic dicto, Exercit. X., §. 34. vid. illam. 3. Addimus Ovidium Nasonem, unde etiam hæc habuerit, Metamorph. lib. I. sub init.

*Esse quoque in fati (inquit) reminiscitur, affore tempus,
Quo mare, quo tellus, correptaque regia cæli
ardeat, & mundi moles operosa laboret.*

4. In hunc sensum ferè Lucretius etiam de Rer. natura l. 5.

*Una dies dabit exitio: multosque per annos
sustentata ruet moles, & machina mundi.*

& eodem libro paulò post inquit:

*Scire licet, cæli quoque idem terraque fuisse
principale aliquod tempus, clademque futuram.*

5. Non adferam hoc loco plura atque alia ex Chrysippo, Lucano, (vid. hunc præsertim ap. H. Grot. de V. Rel. Christ. lib. 1., §. XXII., p. m. 67.) Statio, Seneca, aliis; illud saltem adhuc addam, toto Orbe quidem decantatissimum dictum domûs Eliæ, quam vocant, ex Talmude, tit. Sanhedrin: cap. Helek: edit. Amsterod. fol. m. 97., fac. 1., lin. ult. Mundum duraturum non nisi 6000. annos &c. Verba sunt hæc:

תנא דבי אליהו ששור
אלפים שנה הוי עלמא שני אלפים תורה שנה
אלפים תורה שני אלפים ומורת המשיח
*Dictum vel traditio domûs Eliæ, 6000. annis durabit Mundus, 2000.
Inane, 2000. Tomb. f. Lex 2000. Mesias.*

II. Re-

II. Resurrectio mortuorum. Hanc (inquit Mornæus de Ver. Rel. Christ. c. XXXIV.) docebat Zoroaster & Theopompus, Aristotelis discipulus, similiter: quibus (addit) teste Ænæa Gazæo, de immortalit. antiquorum nemo contradixit. Nec omittenda heic iterum Sibyllina carmina. Plato etiam disertè animas in corpora redivivas tradidit. Democritum quoque credidisse eandem ap. Plinium est: cujus (contraria quidem licet) verba hæc sunt, libr. VII., cap. 55. Similis &, inquit, de asservandis corporibus hominum, ac reviviscendi promissa Democriti vanitas, qui non revixit ipse. Quæ (malum) ista dementia est, iterari vitam morte? Hactenus verba Plinii. At verò Plini, dementia tibi hæc est, si fiat per efficaciam ejus, qui Vita ipsa est, & Vitam primum primo dedit homini? Quæ heic impossibilitas? quæ contradictio est? Semen aspice minutulum, ubi heic proceræ arboris radix, truncus, rami, comæ? quid vides, quod illam minimum representet? & tamen hæc non exsurgit, aut fit, nisi cum terræ commendatum illud antè putruerit. Pluribus, ut solet, de hac pulchrè differentem vide Mornæum supra cit. loc. adde, si placet, H. Grotium de Ver. Rel. Christ. lib. I. sub fin. & II. circa med. ferè pag. m. 78. & 82. seqq. Qui addunt contra similes inficiatores, interim cum Erum Armenium apud Platonem, aut Aristæum apud Herodotum, vel Theopesium & Antyllum apud Plutarchum, alios fortè apud Heraclidem Ponticum, legunt in vitam rediisse, id credunt. Bellè.

III. Judicium Extremum. Videnda iterum Sibyllina Oracula, & in specie Erythræum supra modò citatum,

tatum, cuius hoc ipsissimum est argumentum, adventus nempe Christi ad iudicium. Conf. item, si lubet, iterumq; H. Grotius cit. loco, scil. lib. I. sub fin. Ac certè, mittamus licet Paulum, in epist. ad Roman. cap. II. v. 15. & seq. idem, qui hoc ex Natura & Conscientiæ libro adstruit & inculcat, dictò loco: Ethnici certè, Conscientiæ convicti testimonio, Iudicium hoc in Campo Veritatis aliquando celebrandum jam dudum docuerunt: unde pro cuiusq; conditione sequutura sit Vita vel beata, aut mors sempiterna.

IV. Vita eterna, & mors sempiterna aut Infernus. Hæc sc. Conscientia unicuiq; sua facilè dicitat: juxta Poëtam:

*Conscia mens ut cuiq; sua est, ita concipit intra
pectora pro meritis spemq; metumq; suis.*

Accedat pro colophone Consensus iterum Universalis omnium omninò gentium super hac re. Videndi: Zoroaster, Hermes Trismegistus, Sibyllina carmina, Orpheus, Phocylides, Theogenes, Homerus, Hesiodus, Pindarus, Pythagoras, Socrates, Plato, Aristoteles, Cicero, Horatius, Ovidius, Seneca: & qui non? Adde adhuc & præsertim unum, si placet, Virgilium, Æneidos lib. VI. præmia piorum & poenas improborum, more ethnicis & poëtis receptò, graphicè edifferentem. Tantum.



B2 131.

8


ULB Halle 3
001 525 018



Sb

VD 17





Cum DEO!

ΔΥΑC QVÆSTIONUM,

quod dicunt,

MIXTARUM:

Quarum

I. De Myſterio SS. Trinitatis, an idem ex naturali-
bus ſive principiis philoſophicis utcunqve poſſit probari?

II. De Mediationis Opere inter DEUM & hominem,
ſive, ut Veteres etiam loquuntur, de Purgatione Generis huma-
ni Univerſali, an & ipſum hoc myſterium ſciverint vel cogno-
verint utcunq; Veteres ex ethnicis ſapientiores?

In panegyri ſolenni utraq; pro- & expoſita

Ab

ANDR. SENNERTO, P. P. in Acad.

Witteberg. Ejusdemq; Sen.



WITTEBERGÆ,

Imprimebat JOANNES WILCKE, An. 1685.

